

AUGUSTI EPISTULA AD MAECENATEM

Macrobius, saturn. II 4,12

Antonio Traglia magistro carissimo munusculum

Codices

(cfr. A. La Penna, La tradizione dei Saturnali di Macrobio, «Annali della Scuola Norm. Sup. di Pisa» 1953, pagg. 225—249; * asterisco notavi cdd. Vaticanos quos lapennianis adiunxi; [Gr.] significat Graecum epistulae omissum) *

| | | |
|----------|--|--|
| | Stirpis B cdd. | L = Laurent. 51,8 (s. XII) |
| T | = * Vat. Pal. 886 (s. IX) ampla excerpta continens | F = Laurent. 90 sup. 25 (s. XIII) |
| R | = Vat. Reg. Lat. 1650 (s. IX ex.) | $\left. \begin{array}{l} \text{Laur. 65, 36} \\ * \text{ Vat. Urb. Lat. 1214} \\ * \text{ Vat. Pal. 1575} \\ \text{Paris. Lat. 8678} \\ \text{Laur. 51,12} \\ \text{Laur. Aed. Flor. Ecc. 166} \end{array} \right\} \text{(s. XV)}$ |
| B | = Bamberg. M. L. V. 5 n. 9 (s. IX ex.) | |
| D | = Brit. Mus. Cott. Vit. C III (s. X) | |
| w | = Guelferb. 4619 = Gud. 312 [Gr.] (s. XIII) | |
| h | = Laurent. 51,9 (s. XIII) | |
| | Stirpis P cdd. | |
| N | = Neapol. V. B. 10 (s. X) | $\left. \begin{array}{l} \text{Paris. Lat. 8677} \\ * \text{ Vat. Ott. Lat. 1747} \\ * \text{ Vat. Lat. 1538 [Gr.]} \\ * \text{ Vat. Lat. 1539 [Gr.]} \\ * \text{ Vat. Lat. 1542} \\ * \text{ Vat. Lat. 1543} \end{array} \right\} \text{(s. XV)}$ |
| P | = Paris. Lat. 6371 (s. XI) | |
| S | = Argentorat. 14 (s. XI vel XII) | |
| | Stirpis V cdd. | |
| V | = Vat. Reg. Lat. 2043 (s. X) | |
| E | = * Vat. Lat. 3417 (s. X ex.) | e = * Vat. Lat. 1540 (s. XV) |

Editores

- Turn.** = A. Turnebi Adversariorum Tom. II, Parisiis 1565, lib. XVIII cap. II
Cas. = I. Casauboni Suetoni Vitae Caesarum, Genevae 1595, animadv. in Aug. 86, pagg. 293
Gron. = Macrobii opera . . . J. Gronovii, Lugd. Bat. 1670
Ianus = Macrobii opera emendavit L. Ianus, Vol II Quedlinburgi et Lipsiae 1852
Jahn = O. Jahn, Satura «Hermes» II (1867) pagg. 247-248
Eyss = Macrobius, F. Eyssenhardt recognovit, Lipsiae 1868¹, 1883²

* Cum haec scribebam nondum in lucem prodierat commentatio scripta ab J. A. Willis, De codicibus aliquot manuscriptis Macrobii Saturnalia continentibus, Mus. Rhen. 100 (1957), pagg. 152—164, cuius capita haec sunt: subarchetypi sunt non tres, ut vult Penna, sed duo; ex uno fluxit familia P, ex altero duo codices, germani fratres, iidemque patres familiarum B et V.

Textus epistulae

*Uale*¹, *meli gentium*², *meculle*³, *ebur ex Etruria*⁴, *lasar*⁵
*Arretinum*⁶, *adamas*⁷ *supernas*⁸, *Tiberinum*⁹ *margaritum*¹⁰,
*Cilneorum*¹¹ *zmaragde*¹², *iaspi*¹³ *figulorum*¹⁴, *berulle*¹⁵
*Porsenae*¹⁶, *carbunculum habeo*¹⁷, ἕνα συντέμω πάντα, μάλαγμα
*moecharum*¹⁸.

2 *meli gentium* R: *me legentium* w, e; *mel gentium* cett., Turn. Gron. Ianus; *mel gemmeum* Cas.; *mi ebum* Jahn Eyss. **3** *metulle* h₁, e; *me cude* B₂ w₂; *melcule* SP (in ras.), Laur. Aed.₂, Gron.; *Meduliae* vel potius *Vetuloniae* Turn.; *Medulliae* Cas. Jahn Eyss. **4** *Etruriae* Jahn **5** -ar: -er Turn. Gron. Jahn **6** *Are-* h, PS, Fle, Turn. Cas. Gron. **7** *adei-* S **8** *sap-* B; *Supernas* Jahn Eyss. **9** *Ty-* NP, l, Turn. **11** -eorum: erasum in R; *Cilniorum* edd. **12** *zm-* NPS: *sm-* cett., edd. **13** *iaspis* Laur. Aed.₂, Turn. **14** *singu-* S; *Iguvinorum* Jahn Eyss. **15** -ylle w₂. Turn. Cas. Gron. Ianus; -ille h, S, VEF₁ve **16** -ennae B₂ h, ve, Turn. Cas. Jahn Eyss. **17** *caruu-* T, NS | *habeas*: -at w; *Italiae* Cas.; *Hadriae* Jahn Eyss.; † Ianus **18** ἕνα: INIA D, VEF₁; πᾶσιν l | συντέμω : ἐπιτέλλω l | -ντα μάλαγμα : -TMA T, L; *adicit* ΔΑΤΜΑ R; om. VEF.

Sta bene, o dolcezza delle genti, o mecullo (?), avorio... d'Etruria, succo di silfio... d'Arezzo, diamante... della regione a nord di Roma, perla... del Tevere, smeraldo... dei Cilni, diaspro... dei terracottari di Arezzo, berillo... di Porsenna, carbonchio... che ti colga, in breve cataplasma emolliente da cocotte.

Commentarius

1 Post *Uale* Augustus non posuit tale aliquid «mi carissime et suavissime», sed seriem iocorum quibus irrideret Maecenatis et Tuscam nobilitatem et stilum, cf. carmen quod rettuli ad 7: eius enim «*myrobrechis cinnnos*», ut testatur Suet. Aug. 86,2, usquequaque persequebatur et imitando per iocum irridebat. Iocatus est hic Augustus, ut praefatur Macrobius, contra castigationem loquendi quam alibi fere semper servabat.

2 *me legentium* facile reducit ad *meligentium*. Tali modo, salvo *gentium*, ambigitur in cdd. solum inter *mel* et *meli*. Ego puto *mel*, lectionem faciliorem, esse glossam, genuinum esse *meli*, id est μέλι ab Augusto, suo aliorumque multorum more, latinis litteris exaratum: testatur enim Martialis 10,68,5 sqq. μέλι μου esse lasciviam sermonis amatorii. Ita igitur videtur iocatus esse Augustus: «tu es τὸ μέλι non unius scortilli, sed... omnium gentium».

3 Sub *metulle* (*t* pro *c* frequens est in recc.) reperta est seu vetus urbs latina Medullia, seu tusca Vetulonia! *me cude* ortum est a **mecule*. S, unde fluxit *melcule*, testem suspectissimum ha-

beo, pendentem ex exemplari impudenter emendato: corrector divinavit iteratam esse mellis mentionem (*me<ll>cule*). Ceterum si ageretur de neutro *hoc melculum*, ut apud Plautum Cas. 837, Curc. 11, vocativus non exiret in *-e*.

Meculle, quod fuit in archetypo, quid velit nemo facile explicabit: multas locutiones, saepe nobis obscuras, Augustus vel ipse finxit vel sensu novo ditavit (cfr. Sue. Aug. 65,4; 72,2; 87,1—2; 98,4; etc.). **Mecullus* deminutivum videtur: subest *Meconius*, gentilicium tuscum, Schulze LE, 153 (cfr. Scribonius) Scribillus, etc.)? an potius *mecon*, *meconis*, i. e. *μηκών* „sucus vel decoctum papaveris“ (cfr. leno) lenullus, etc.)?

4 Maecenas, ut par est deducere ex laudibus poetarum (cfr. Hor. carm. 1,1,1; 3,29,1; Serm. 1,6,1—4; Propert. 3,9,1; Eleg. in Maec.), domi forique iactabat se esse Etruscum de sanguine regio, rem Etruriae generosissimam. Cui iactationi salse Augustus respondet «totius quidem Etruriae, cum Arretio, Cilniis, figulis Arretinis, Tiberi, Porsena, tu es res pretiosissima» sed, alludens ad stilum moresque molles et insignitos (cfr. Sen. ep. 19,9; 114,6), iis rebus pretiosis adsimulat eum, quae non ex Etruria, sed ex Orientis partibus venirent, ut cultus eius. India e. g. mittebat ebur . . .

5 *lasar*, per *-ar*, vulgarismum (cfr. in App. Probi 129 *a n s e r n o n a n s a r*, 163 *p a s s e r n o n p a s s a r*, hisp. *pajaro*, lusit. *passaro*, etc.) do Augusto qui auribus et usui magis quam grammaticis deserviens (cfr. Sue. Aug. 88) multa usurpabat quae postea eruperunt.

Lasare, suco silphii (maximi pretii inter ea quae e terra exirent, Plin. 37,204) utebantur in medicina ad menses feminis ciendos (cfr. Plin. 22,101), contra carbunculos (ibidem, 103), etc. E medicina sumptum appellativum videtur, ut *μάλαγμα*, fortasse *meculle*, *carcinoma* alibi (cfr. Sue. Aug. 65,4). Persis, Armenia, Media mittebant lasar (Plin. 19,40); Arretium mittere poterat lasar . . . adulteratum: Maecenatem.

7 Ut tradit Isidorus 19,32,6 haec scripsit Maecenas ad Horatium (R. Avallone, *M a e c e n a t e*, Salerno 1943, p. 125; Lunderstedt, 1911, p. 36):

*Lucentes, mea vita, nec smaragdus,
beryllos mihi, Flacce, nec nitentes,
nec percandida margarita quaero,
nec quos Thynica lima perpolivit
anulos, nec iaspios lapillos . . .*

Discinctus, tunica solutus, mollis Maecenas gestabat digitis lapillos (probrosum viris), lapillis κακοζήλως ornabat carmen suum, ut quidam irrisus a Martiale 5,11. Cacozeliam carminis irridens, Augustus iocis suis singulos lapillos persequitur, praemittitque dactyliothecae „adamanta“, rem omnium pretiosissimam (cfr. Plin. 37,55), quasi dicens: «bene facis cum non quaeris gemmas, cum tu ipse sis gemma orientalis ex... Etruria».

8 Jahni divinatione extitit urbs **Superna!*

„*supernas*“ raro legitur, sed Romae, suspicor, usurpabatur in sermone cotidiano (cfr. Vitr. 2,9,17, seqq.) de rebus regionum supra Romam sitarum. Sed adamas neque ad mare superum neque in Etruria nascitur.

9 *Tiberinus* est adiectivum usus cotidiani. Tiberis, qui universe audiebat amnis Tuscus, ab Horatio Carm. 1,20,5 dicitur p a t e r n u m (!) Maecenatis f l u m e n. Ad quod si respexit Augustus, epistula est collocanda haud multo infra annum 30 a. Chr. n.: eo anno carmen Horati scriptum videtur. Ceterum non post 28 a. Chr. n. collocat Avallone (l. c., p. 131) carmen irrisum.

10 „*Hoc margaritum*“ (vitiosum, cfr. Charis. 108,6 K.; vulgata fuit *haec margarita*) Augustus posuit ut persequeretur *nec percandida margarita*. *Margaritum*, numquam nomen proprium, fuit blandum appellativum pueri delicati huius aetatis (cfr. Petron. 63,3). Rerum in mari nascentium maximum pretium erat margaritis (cfr. Plin. 37,204), quae semper solumque in mari capta sunt, non... in Tiberi.

11 suspicor *-eorum* esse rusticismum (ut *Ameana* apud Catul. 41,4; *filea*, *Feronea*, *Atteana*, *Deana* in lapidibus; cfr. Varr. r. r. 1,2,14; etc.) eo sumptum ut Maecenati iactanti nobilitatem Cilniorum Etruscorum obiceretur rusticitas *Cilneorum* provincialium, quorum ipse esset *zmaragdus*.

12 σμ- iam antea reddiderant per zm: nam s latina erat solum surda, cum z graecum esset s sonora, qui sonus audiebatur in sm- (cfr.: *Zmurna*, Varr. r. r. 1,7,6 in cod. P; *Zmyrna*, Catull. 95, 1,5,6; *Zmaragdus* in lapidibus, una cum *Sm-*). Augustus, auribus deserviens, scripsit in Rebus Gestis *Arta-vazdis*, *apsenti*, *millia*, *saeclares*, etc., ut hic *lasar*, *berulle*, *Porsena*, *zmaragde*.

13 *Iaspi* est graecismus suam declinationem custodiens (N. *ιασπις*, V. *ιασπι* : cfr. Catull. 4,13 voc. *Amastri* ex nom. «*ἡ Ἀμαστρίς*»).

Locus persequitur *iaspios lapillos*; verbum non antea legitur.

14 Recte, contra *Iguvinorum*, defenderunt traditam lectionem E. Bormann (CIL, XI pag. 337, anno 1888) et Dittmann (Th. l. L., II, 636,13, anno 1902). (P. Lunderstedt, De Maecenatis fragmentis, «Commentationes philologiae Jenenses» IX, 1 Lipsia 1911, pag. 20, nullo iure ita traicit: *Iguvinorum iaspi*, metri causa.) Arretium patria erat figulorum, inter quos invenimus etiam Cilnios (CIL. XI. 6700. 183). Generosissimo Cilnio opponuntur gentiles figuli (clari ob vasa Arretina et ob viliora: imbrices, matellas, etc.) quorum ipse esset res pretiosissima, iaspis.

15 -ulle exhibet vulgarem pronuntiationem litterae -u- (cfr. βύρσα) *borsa*, *berullus* in lapidibus et apud Plinium); u docti enuntiabant y, id est ü (cfr. *beryllon* apud Proper. 4,7,9 et in App. Probi 195 *myrta non murta*, etc.).

De berullo, pretioso lapide Indico, cfr. Plin. 37,76—77. Nondum mittebat India berullos temporibus Porsennae, qui non gemmis lautus audiebat, sed Arretinis fictilibus (cfr. Mart. 14,98).

16 -enae: cfr. *Porsēna* apud Hor. Ep. 16,4; Mart. 1,21,6; 14,98,2; Sil. It. 8,389; etc., et Servium ad Aen. 8,646 p. 292,25 Thilo *Porsenna: unum n addidit metri causa*. -enna fluxit in recc. et in nostros sermones ab aen. l. c.

17 More suo Jahn, post *Medulliam*, **Supernam*, *Iguvinos*, et aliam urbem invenit in epistula, *Hadriam*.

Locus persequitur, suspicor, *anulos quos Thynica lima perpolivit*: nam carbunculi nascebantur etiam in Caria (Plin. 37,92) non longe a Bithynis (= Thynis, cfr. Isid. 19,32,6): si proximi Alabandenses eos perficiebant, nihil obstat quominus suspicemur etiam Bithynos Carios carbunculos perpolisse. Cum duplex esset vis vocabuli *hic carbunculus*, i. e. 1) «lapis pretiosus», 2) «papulae, pustellae», praesertim verendorum, suspicor Augustum posuisse de industria *carbunculum* quod primo aspectu videretur appellativum eiusdem lanæ quam Maecentianum *margaritum* gen. neutri («lapille . . .»), deinde subiecisse praeter expectationem *habeas*, ut locutio plane significaret «carbunculo, i. e. pustellis afficiaris». Ut *carbunculum habere* ita *febrem habere*, *scabiem habere*, etc., sermonis cotidiani. (C a r b o n c h i o, quo verbo conatus sum iocum reddere, diu apud nostrates eandem duplicem vim habuit quam c a r b u n c u l u s.)

18 In INIA I falso adiectum est, ut saepe alibi; *πᾶσιν συντέλλω* videtur emendatio huiusmodi corruptelae INIACIN-TEΛΛΩ (ΔΛ = M); pro Γ est Τ etiam in cdd. Graecis; R, in dubio de lectione, iteravit postremas litteras.

Ἔνα συντέμω πάντα («brevis», «ad summam») ductum apparet ab Euripide ἅπαντα συντεμὼν φράσω, Hec. 1180, ὡς δὲ συντέμω Tr. 441, posito Ἔνα pro ὡς ex usu. Euripidis, cognitissimi tunc Romanis, frequenter Augustus iactabat Phoen. 599 (cfr. Sue. Aug. 25,4).

μάλαγμα posuit Augustus Graecis litteris, quod verbum inde a Celso apparet civitate donatum. Μάλαγμα emplastrum erat praecipuam vim habens ad emollienda quae dura essent (cfr. Cels. 5,18,8): supra integram cutem iniiciebatur. Suspicio de malagmatibus agi apud Ov. Med. faciei ad pellem rugis liberandam nitidiorumque efficiendam. Reicio igitur eiusmodi versiones: „charmes artificiel des prostituées“, „matelas des courtisanes“, „dolcezza delle adultere“. Postremo ioco ita Maecenas irridetur: «non solum es mollis, sed ita molliens, ut iure te uti possint moechae ad molliendam molliculam cutem suam».

Moecham dixit pro scorto, meretrice etc., cum haec vox a Graeco mutuata exquisitor videretur (cfr. apud nos cocotta, a Gallico cocotte).

Romae

Remo Gelsomino

DAS RECHT DES RÖMISCHEN SOLDATEN

Eherecht

Über das Eherecht des Soldaten ist viel geschrieben worden ¹⁾. Hier sind die Belege: Zuerst diejenigen, die ein Eheverbot beweisen. Tacitus, ann. 14,27 scheint doch zu allgemein zu sein, als daß daraus Schlüsse gezogen werden könnten. Dio Cassius 60,24: τοῖς στρατευομένοις ἐπειδὴ γυναικῆς οὐκ ἐδύναντο ἔκ γε τῶν νόμων ἔχειν, τὰ τῶν γεγαμηρότων δικαιώματα ἔδοκε. BGU 114 Col. I, 5—13 ²⁾. οὐ γὰρ ἔξεστιν στρατιώτην γαμεῖν. In

1) Zuletzt Max Kaser, Das röm. Privatrecht in I. v. Müllers Handbuch der Altertumswissenschaft, München 1955, S. 270, 271. Dort die übrige Lit. Kaser kommt zu einem non liquet.

2) L. Mitteis und U. Wilcken, Grundzüge und Chrestomathie der Papyruskunde, Leipzig 1912, Bd. II Nr. 372.